177642

ORATIO
GENEROSI
DN. CHRISTO-PHORI PRIEMSKY,
AD

Serenißimum Regem Sueciæ

DN. DN.
CAROLUM GUSTAVUM, &c.

D. 29. Aug. Anno M.DC.LV. in castris sub Coto habita.

Impressa Cracoviæ:
ANNO 1655.

SErenissime Rex Domine Clementissime, mirari satis non potuit, Serenissimus Rex ac Dominus meus Clementissimus, Joannes Casimirus, cum Senatu suo accepto primo Nuncio, intrasse Exercitum Majestatis Tuæ, Duce VVitenbergio, Fines Regni sui, tum verò stupere magis etiam cœpit, cum & Personam Regiæ Majest. Tuæ, alio Exercitu stipatam, venisse intellexisset. Me igitur, tàm Sereniss. Rex meus, quam Senatus ad Tuam Majestatem ablegare voluerunt, ut tandem scire possimus, quis ille sit Affectus & Animi impetus, qui Majest. Tuam eò usque impulerit: Vehementem enim esse oportet, qui nullis hucusque Mediis, non de Pace Tractatibus, non legationibus, in Succiam missis non Sacris Fœderum, & induciarum vinculis, cohiberi potuerit. Ad iram & indignationem non satis causæ videmus: quod enim tantum Facinus, vel Reges nostri, vel Respublica commiserunt, ut tam severâ ultione, illud vindicare Majest. Tua in Animum induxerit? Nos, Deo Teste, nihil tale scimus: Inducias, semel factus, sanctissimè semper coluimus; Suecis, in Germania Bellum gerentibus, & nostris Rebus Pace tunc florentibus, licèt multoties, in societatem Belli, contra ipsas, invitaremur, nuncquam publicè nocere voluimus: Antiquior enim Nobis semper fuit fides, quam utilitas publica. Quod si privati aliqui Rebus Cæsaris favebant, multi etiam fuerunt, qui Suecis operam suam navarunt, tot Borussi, Livones, Curlandi, Regni Poloniæ subditi, tum & ipsi Poloni, nomine prohibente, in Castris vestris militarunt. Testis vel Frater meus Germanus, Sigismundus Prziemsky, benè Majest. Tuæ notus, etiam, tristi hoc bello nostro, nuper à Barbaris, extinctus. Vel ego ipse, qui non tantùm, sub signis Gustavi illius Magni,

Avun-

Avunculi M.T. Tyrocinia mea exercui, sed etiam non ita pridem Galliæ Regi, Regi Sueciæ fœderato, non contemnandam Polonorum Manum, ad Expugnationem Dunkiarcanam, adduxi. Nec inutilem ut credo, per triennium, operam præstiti. Cancellarii etiam errores, vel alia minutiora, non tanta fuere, ut armis vindicari deberent. Est igitur aliquid aliud: dicerem esse Cupiditatem Divitiarum. Sed scimus, hoc Animi vitium longè à Naturâ M.T. abesse: & ex Regno, tàm misero, lacero, & devastato, quid jam amplius extorqueri potest? Octennium est, ex quo Regnum hoc, Bellis & quidem atrocissimis, affligitur: & quot Anni, tot ferè, Clades, & Exercitus, vel causi, vel dissipati, totque iterùm reparati, quale tandem est Imperium, quod tantis Calamitatibus non succumberet. Quales Thesauri, qui non exhaurirentur? Intrasti, Rex Potentissime, Provinciam opinionem, scilicet majorem hanc Poloniam, & ut ab incommodis, Belli remotionem, ita etiam feliciorem. Considera miserorum Hominum Pauperiem, & inde, de aliis, quæ propiùs malo sitæ fuerunt, vel in quibus Bellum geritur, Judica, quantoperè ex illis Exercitus Tui dilabantur; Nullæ hic urbes opulentæ, non Mercatores divites, non Auri vel Argenti Fodinæ: Divitiæ nostræ, annui Fructus sunt, & Pecora Campi: quæ omnia, si ab Exercitibus, tam Maj. T. quàm nostris, consumentur; Agricultura cessabit, nec ullæ unquam Contributiones sperandæ; sperandum, imò metuendum, ne Nobis, & Exercitibus Tuis, Fame sit pereundum. Si igitur, nec satis causæ ad Iram, nec multum irritamentum ad Cupiditatem M.T. habeat, suspicari cogimur, M.T. aliis stimulis adactam, ut Nobis Bellum inferret, Famâ nempe, & Gloriâ, Vanissimis Ingenii humani oblectamentis. Sed quæ hæc Gloria? dum Nos cum hostibus immanissimis, pro salute & vita decertamus, Tu, Rex potentissimus, Nos Armis occupas. Si Gloriam vis, veram, non vanam, quære, vera autem erit, si aliena non expetas, suum cuique tribuas. Rumor est apud Nos, velle Te protegere Poloniam: si hoc est, protegas Gentem, contra Hostes

imma-

immanissimos, Populo libero Libertatem non adimas. Regi, legitimè à Nobis electo, & Tibi sanguine juncto, Regnum serves: tunc verò, non pro Protectore tantum, sed etiam pro Benefactore, habebimus, & Conservatoris Nostri Trophæum Tibi erigemus: majorem consequeris inde Gloriam, quam si amplissima Regna Tuo adjicias Regno. Sed si Regnum hoc vi & Armis M. T. occupare in animum induxit, putat ne firmum hoc fore Imperium & Suecis posse jungi Polonos. Disjunctissima hæc sunt Regna, divisit Natura Mari, dissociavit Instituto, Religione, Legibus, Moribus, Habitu, Lingua. Hi Populi, nullâ re sibi similes, nisi Ferociâ, dissidiorum omnium fomite. Vi igitur, partum Imperium, bonis Artibus administrari posse, M. T. non speret, sed semper ad secures & supplicia, recurrendum erit. Quæ verò hæc Gloria, ex Principe benigno & clemente, mutare in crudelem, & truculentum Dominum? Aliam ergò, Magnanimo Princeps, ingredere Gloriæ viam, & nobis parce: Jam Pacem petimus omnes, deprecamur Bellum, & quid à Nobis M. T.ᵗᵃˢ postulet, ut aperiat, rogamus. Nos Majestati, Tuæ in omnibus satis facere satagemus: gradum tantùm sistat, cum Armis ulteriùs non progrediatur, & de Pace, toties oblatâ, nobiscum tractare, non dedignetur.